

tionem, ergo Deus non cognoscit per illam impossibilitatem oppositam. Imo omnis possibilitas logica qua res dicuntur possibles non est aliquid in rebus receptum et existens, sed sola non repugnantia obiectiva. Quando ergo Deus videt negationem alicujus possibilitatis, videt negationem alicujus non repugnantiae, quæ in re non existit. Et cum videt negationem equi in Petro, videt quod illa negatio negat identitatem, seu convenientiam equi ipsi Petro. Hæc autem convenientia seu identitas nihil est, nec realiter inveniri potest, ergo non cognoscit Deus illam negationem per suum oppositum, id est, per identitatem equi cum Petro. Confirmatur, quia alias Deus nunquam cognosceret negationes cognoscibilitate propria, sed aliena, nempe per formam oppositam, ergo cognoscit istas negationes sicut noster intellectus, scilicet per modum entis, et formæ positivæ.

XIX. Secundo, in peccato invenitur non solum privatio, sed contrarietas ad bonum morale, et ad virtutem, hæc contrarietas est aliquid positivum, ergo non cognoscitur a Deo sicut privatio per suum oppositum, sed ut aliquid positivum, ergo cognoscit illam per reductionem ad se, quia est causa omnis positivi, seu entis realis. Hoc autem est absurdum, quod Deus causet et reducat ad se contrarietatem ad bonum morale, et ad legem suam. Confirmatur, quia in peccato est aliqua formalitas, quæ immediate opponitur ipsi Deo, scilicet ratio injuriæ, et offensæ, nam in hac ratione peccatum habet infinitatem, quæ crescit ex dignitate personæ offensæ quæ est Deus, ergo in ratione offensæ cognosci debet immediate per ipsum Deum.

XX. Ad primum respondetur negando antecedens. Ad primam probatio-

nem dicitur, quod negationes tripliciter considerari possunt. Primo, ut ordinantur ad tollendam et extinguendam aliquam formam in aliquo subjecto. Secundo, ut ordinantur ad distinguendum et dividendum unum ab alio, et ex consequenti ad tollendum aliquid non in se absolute, sed separando ab alio. Et tertio, potest negatio considerari, ut purum nihil, et negans omnia sive Deum, sive creaturam. Primo modo negationes, vel privationes cognoscuntur a Deo per formas sibi oppositas, ab eis enim specificantur, quia eas tollunt, et hoc modo dicimus Deum non posse esse formam, seu rem quæ specificat privationem, quia Deus a nulla privatione potest tolli et extingui in se. Secundo modo non est inconueniens, quod negatio aliqua non ut tollens, sed ut distinguens et separans cognoscatur per ordinem ad Deum a quo fit distinctio et separatio, sicut etiam Pater non est Filius, nec Spiritus Sanctus, id est, distinctus ab illis, et hæc negatio cognoscitur in ordine ad illos. Non loquimur de his negationibus, quando asserimus Deum cognoscere negationes et privationes per res creatas quas negant et non per essentiam suam, sed loquimur de negationibus directe ordinatis ad destruendam et tollendam aliquam formam, ita quod specificentur ab illa, et sic cum non detur negatio ad destruendum Deum, bene tamen ad destruendum creaturam potest cognosci aliqua negatio, vel privatio per creaturam tamquam per formam oppositam, non autem per essentiam divinam. Cæterum illa negatio Dei quæ ex distinctione ipsa creaturæ a Deo oritur non est inconueniens quod cognoscatur per ordinem ad Deum, a quo distinguit et separat creaturam non quem destruit, quia non est aliud quam ipsa distinctio a Deo ut ab extremo. Ter-

tio modo cognoscitur negatio per ordinem ad ens in communi, quia totum negat tam creatum, quam in creatum. Ad secundam probationem de negatione inventa in attributis, respondetur in attributis non inveniri aliquam negationem quæ tollat et destruat perfectionem aliquam, negatio vero divisionis, successionis, mutabilitatis, et cæterarum imperfectionum cognosci potest per ipsas imperfectiones negatas et exclusas a Deo tamquam per formam oppositam.

XXI. Ad tertiam probationem respondetur quod impossibilitas seu negatio possibilitatis in eo, quod homo sit equus respicit duplicem possibilitatem, alteram negatam, alteram affirmatam. Negata possibilitas est possibilitas identitatis hominis cum equo, affirmata possibilitas est sui oppositi, scilicet quod homo non sit equus, æquipollent enim hæc propositiones: impossibile est hominem esse equum, possibile hominem non esse equum, et possibilitatem hanc affirmatam Deus cognoscit, quia veritas est derivata a Deo, scilicet distinctio et separatio ab equo, quæ cognoscitur per hoc, quod Deus cognoscit hominem distinguere ab equo, et cognoscendo distinctionem videt negationem extremorum, quæ distinguuntur. Possibilitatem autem illam negatam Deus videt non attingendo ipsam possibilitatem ut realem, sed ut non realem nec existentem, potest autem negatio realis (id est, subjecto reali conveniens) negare aliquid non reale, sicut homo non est chimæra, nec est ens rationis, et negatio illius vera est, sic negatio possibilitatis illius quod homo sit equus, est negatio alicujus possibilitatis chimæricæ, et ideo negatæ. Et cum instatur quod omnis possibilitas logica est non repugnantia, quæ non est aliquid existens, dico quod non

est necesse quod sit aliquid existens formaliter, sufficit quod objective, id est, quod sit objectum alicujus potentiæ cui non repugnat facere, et sic negatio possibilitatis est negatio alicujus realitatis objective sumptæ respectu ejus, cui, vel de quo negatur. Et ad id quod dicitur, quod cum videt negationem equi in Petro, videt hanc esse negationem identitatis, seu convenientiæ equi ipsi Petro, respondetur non esse necesse quod quando aliqua negatio cognoscitur convenire alicui subjecto, id videatur per negationem convenientiæ oppositæ formæ, sed per convenientiam ipsius negationis in hoc subjecto, licet ipsa negatio per oppositam formam negatam videatur, sicut negatio equi videtur per equum qui est forma negata, et tenebræ per lucem quæ est forma negata, sed quod tenebræ convenientiant aeri, vel negatio equi homini aut lapidi, non videtur per negationem convenientiæ lucis in aere, sed per causas et fundamenta, ex quibus hoc subjectum habet carere illa forma.

XXII. Ad confirmationem respondetur quod cognoscere negationes et mala, cognoscibilitate aliena stat dupliciter. Uno modo cognoscibilitate aliena ipsis attributa, et constitutive illa in ratione entis, vel cognoscibilitate aliena ab ipsis connotata, quæ est suæ formæ oppositæ, aut fundamenti, aut subjecti. Ab ista secunda non possunt omnino præcindere negationes et mala, quando cognoscuntur a Deo. A primo vero modo cognoscendi cognoscibilitate aliena absolvitur Dei cognitio, quia imperfectio est unum ad instar ejus quod non est cognoscere.

XXIII. Ad secundum respondetur quod contrarietas mali moralis ad bonum virtutis non est a Deo, quia non est contrarietas pure positiva, sed positiva defectuosa, et privatio-

nem intrinsece annexam habens, si non ut rationem formalem saltem ut modum intrinsecum, sicut obscuritas in fide. Unde sicut non potest procedere ab aliquo principio assensus fidei, nisi etiam procedat obscuritas, ita neque contrarietas moralis ad virtutem, nisi sit curva et obliqua et privata bono. Verum tamen est quod id quod in tali contrarietate de positivo habetur sub ratione præcisa positivi, non vero sub ratione defectuosi, et ut fundat defectum, consideratur a Deo, ut reductum ad se; et causatum a se, sicut dicitur de materiali peccati et entitate sub ratione entitatis. Neque hoc negari potest ab his qui materiale peccati non negant esse a Deo, nam illud positivum (quidquid sit) quod in contrarietate reperitur, cum non sit ens rationis, sed aliquid a parte rei, illud esse quod habet necessario debet a Deo habere. Differentia inter doctores erit an illud positivum pertineat ad formale peccati, an in linea materialis, et entitativi tantum ponatur. Et qui dicunt esse formale ipsi actui, ut actus moralis est, ita quod est quasi forma et actus naturalis entitatis, nihil inconvenientis inveniunt, quod hoc formale peccati, seu moralitatis et tendentiæ ad objectum contrariæ bono sub ratione positivi ut sic sit a Deo, non sub ratione positivi ut defectuosi, et ut fundat privationem, et prout sic constituit peccatum, non quod privatio ipsa, et defectus sit formalis ratio moralitatis contrariæ, sed quia est modus seu conditio, ut ille positivus respectus tendentiæ sit formalis ratio, sicut obscuritas in fide. Sed de his latius in prima secundæ.

XXIV. Ad confirmationem respondetur illam formalitatem injuriæ, et offensæ opponi Deo mediate, et ut objecto cui, non immediate, et ut objecto quod. Sicut enim religio

colit et honorat Deum, ita peccatum offendit, et dehonorat. Religio autem respicit Deum, ut objectum cui offert cultum et honorem, ipsum autem cultum ut materiam quam directe respicit. Sic peccatum respicit objectum malum morale, et contrarium legi, ut materiam et objectum directum, ipsum autem Deum ut objectum cui fit offensa, et a quo avertimur ut a fine. Unde non est necesse, quod per ipsum Deum cognoscatur tamquam per immediatam formam, et rem cui opponitur. Quod si instes, quia peccata omnia sunt contra legem Dei, et ab illa derivant, sed lex æterna est ipse Deus, ergo Deus per se ipsum cognoscit peccatum. Et similiter defectus naturales per ideas suæ artis, sicut quilibet artifex per suam artem cognoscit exorbitantias ab arte. Et saltem de malo, docet S. Thomas opponi Deo secundum rationem communem in questione II de veritate, art. xv ad iv, et in I, dist. xxxvi, quæst. I, art. II, ergo saltem hoc cognoscit Deus per suam bonitatem. Respondetur peccata esse contra legem æternam, ut est in Deo, mediate et remote; ut autem est participative et passive in nobis, et respici debet ab ipso actu, sic est contra illam immediate et directe, hoc enim est quod peccatum excludit ab ipso actu, scilicet rectitudinem in eo participabilem passive a lege Dei, non ipsam legem formalem, quatenus est in mente divina. Et sic immediata privatio peccati est ad formam seu rationem creatam, id est, passivam participationem legis, quæ debetur, aut potest esse in actu libero regulabili. Idem dico de defectibus naturalibus respectu artis et ideæ, quæ est in mente divina ut regula, in re autem artificiatam ut in regulato. De malo secundum rationem communem, respondetur ex D. Thomæ loco ci-

tato non opponi bono prout est in Deo determinate, et ad ipsum Deum pertinet in se, sed secundum communem rationem boni. Unde immediate oppositum malo in communi est bonum in communi, in quo involvitur Deus in confuso, et ratione rei communis, non ut est particulare bonum in se.

POSITIVO ASSENSU VERSATUR DEUS  
CIRCA NEGATIONES.

XXV. Dico quarto: Deus cognoscit mala, et privationes non solum actu, et judicio dissensus, aut negativo actu, sed etiam judicio positivo assensus quando veritatem in illis invenit, quæ est capax veri, et perfecti assensus. Est contra Vasquez dist. LXI, cap. II, et Arrubal, disp. xxxiv, cap. III, qui loquitur de cognitione repræsentante negationes non per modum entis rationis, sicut videt Deus illas repræsentari in nostro intellectu, et sic positivo assensu potest dicere, quod non ens in nostro intellectu est ens rationis, sed loquitur de cognitione negationum secundum se ut invenitur in re. Qua ratione Deus non cognoscit negationes ad modum entis, non solum judicando, id enim esset manifesta falsitas, quæ ratione, nec etiam nos formamus entia rationis, sic enim formatio illorum esset falsitas, sed nec etiam apprehensio non ens per modum entis, quia est apprehensio imperfecta, utpote non secundum illud quod objecta habent, sed ficta ad instar alterius.

XXVI. Nihilominus oportet discernere positivum assensum a positiva apprehensione, seu repræsentatione, qua aliquid objectum tamquam quid positivum, et tamquam ens apprehenditur, et sic reditur ens rationis, quia vestitur in

repræsentatione et conceptu entitate quam non habet, sicut rex in tragœdia dicitur rex fictus et repræsentatus. Differt autem positivus assensus a tali positiva repræsentatione vestiente negationem entitate, quia assensus importat determinationem intellectus, et adhæSIONem circa aliquid sibi propositum per modum veri judicandi, sicut dissensus aversionem et determinationem oppositam; repræsentatio autem apprehensiva nihil de ista determinatione, vel adhæSIONe dicit, sed solam manifestationem per modum repræsentationis, et cognitionis factam. Et in hac parte valde hallucinatur p. Alarcon tractatu II de scientia Dei, disp. III, cap. IV, n. v, dum ex Vasquez et aliis auctoribus docet, quod cognosci propositionem per assensum est cognoscere propositionem esse veram, id est, prædicatum convenire subjecto, sive sit propositio affirmans, sive negans. Cognosci vero per dissensum est cognosci propositionem esse falsam. Fallitur in hoc, quia bene stat aliquem cognoscere propositionem esse veram, et tamen non assentiri illi, sed suspendere iudicium, vel avertere, et similiter cognoscere esse falsam, et non dissentiri, præsertim quando non cognoscitur per evidentiam veritas, sed solum credibilitas, vel probabilitas rei. Et quando cognoscitur evidenter, v. g. per demonstrationem, licet non possit intellectus directe suspendere iudicium circa conclusionem positam præmissis, potest tamen indirecte averti a voluntate, ut consideret aliud, et non ferat iudicium, seu non eliciat assensum. Ergo assentiri non est præcise cognoscere veritatem; imo omnis assensus debet supponere cognitam seu repræsentatam veritatem, quia cadit super veritatem cognitam, et propositam sibi, ergo cog-